ORATIO ANNIVERSARIA

In THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIUM

EX

HARVÆI INSTITUTO

HABITA

DIE xviii OCTOBRIS, 1792.

AUTORE *GULIELMO CADOGAN*.

Non ſine Præſidis & Sociorum Juſſu edita.

LONDINI:

Proſtat venalis apud J. DODSLEY, Pall Mall.

ORATIO ANNIVERSARIA In THEATRO COLLEGII REGALIS MEDICORUM Londinensium, &c.

ECCE iterum, Conscripti Socii, vosque omnes Auditores ornatissimi, opus arduum moveo, at si digne fiat, opus gratissimum. Quid enim rectius? quid ingenuis omnibus dulcius, quam bonos & præclarè meritos debitâ laude ornare? Sic reputans, senilibus atque imparibus humeris, ægre senectuti succumbens, plus oneris sustuli quam ferre me posse intelligo. Non certandi æmulus, non vanæ gloriæ cupidus, quasi majorum virtutes nobis essent reponendæ; sed propter amorem, quem vobis comprobatum exoptavi, atque ut ante mortem, a tergo prementem, honestè valedicerem. Indulgentiâ vestrâ fretus

ac

ac munitus, quod (utcunque exciderint vires, aut deficiat eloquentia) lubentem animum Collegii ſtudio ferventem, pro facundiâ benevolè accipiatis. Eo animo magnos honores illuſtrium virorum aggredior; qui ingenio, ſtudio, & labore, mortalium morbis, doloribus, & ærumnis, remedia aut levamina attulerunt. Qui quid ſit homo docuerunt; quomodo primum iſtud exiſtentiæ punctum ſaliens fovetur, nutritur, & in alvo matris creſcit in hominem; quibus viribus, organis, & inſtrumentis polleat; quâ vivendi ratione & diſciplinâ valeat, vigeat, vitamque agat beatiſſimam. Tales tantoſque viros in memoriam ſempiternam revocare monet officium, ſuadet pietas, jubet juſtitia; quo magis quoniam nonnullis, etiam ipſi Harvæo, ſua ſæcula iniqua fuerunt & ingrata; eo magis æquiores poſteri eorum manibus pia vota perſolverent.

Laudent alii reges & rerum dominos; heroas, qui improbos belli labores & pericula audentiores obeunt; idque ſuâ cauſâ, non ut populos tutentur & felices faciant, ſed ut duro regant imperio. Falſis & fucatis honoribus ornent, & ſervili adulatione præconia diſperdant. Non ita anteceſſores noſtri, qui multo digniores longeque anteponendi in ſalutem hominum & commune bonum pervigilia & opera conſecrarunt.

Gens

Gens humana, indocta & ignara, præceps ruit in omne malum, raró præest ratio, rariſſimè obtemperant appetitus; luxuria exitialis, voluptates nocivæ, unumquemque trahunt: nemo, hercule nemo, ſalubriter vivit. Hinc graviſſimi derivantur morbi tam mentis quam corporis; hinc fere omnis vitæ miſeria, properata ſenectus, mors immatura. Quantæ ergo debentur gratiæ, quanta munera! his bonis doctiſque viris, qui fabricam corporis humani diligenter & accuratè explorando his malis ſolatia invenerunt, quandoque remedia & cautelas viaſque ad ſalutem & felicitatem pro bono publico monſtrârunt!

In hoc munere obeundo, ſit nobis ſemper lex ſuprema & ſanctiſſima, neminem niſi laude dignum laudare; non illum quem fortuna, jocari volens, ſuper ora meliorum evexit; non illum qui doloſis atque inhoneſtis artibus famam debet & opes; mulierculis, nutricibus, & pharmacopolis, largitionibus aut epulis blandiendo, vel quod turpius, medicamentorum profuſione. Pudet pigetque has artes, hanc infamiam, prævalere; ingenium, ſcientiam, & probitatem algere. Apage! procul eſto hæc aſtutia & omne quod olet artificium, quo populus & primores populi æque ignari arripiantur! pereat amor lucri! ingenuitatis & virtutis memor, ſorte ſuâ qualicunque contentus

vivat

vivat medicus, dummodo ſalvus ſit honos, & mens ſine pondere recti conſcia, in his beatior quam ſi Crœſi divitiis afflueret.

Nec ſi quid valeat phyſiologia hodierna purgata, aucta, & locupletata, illos laudare debemus quos vetuſtas cæca & ignara autoritate conſecravit. non Hippocratem, Aretæum, Galenum, Celſum, aliosque quos forſan ultra modum & rationem veneramur, & principes medicinæ vocamus. Ne hæc inconſulte dicere videar, operæ pretium duco, eorum doctrinam & opiniones paucis ſcrutari, & exempla quædam proferre, unde innoteſcat quo jure tanto honore uſque in hunc diem decantati ſunt. Atque ut cum principum principe ordiamur, non a bello Trojano, in quo Homerus, fons ingeniorum, artium & ſcientiarum pater, heroas ſuos ſternit & occidit vulnere non lethali, quos Machaon & Podalirius curare debuiſſent, ſi tales eſſent chirurgi quales hodierni. cum Hippocrate res agitur, ejuſque ſententiam de corde & cerebro totius phyſiologiæ fundamenta, ſi expendere licuerit, quantum a veritate & naturâ abſona eſt & aliena! quid & quale eſſet cor planè neſcivit, ut neceſſe erat curſus ſanguinis ignaro; ideoque ni foret inutile viſcus, ſedem animæ fecit, & in ventriculo ſiniſtro, quaſi fortiore & nobiliore parte ſolium locavit. ſedes certe parum quietæ. noluerim ſanè animam meam, tranquilla petentem,

† hoſpitio

hoſpitio tam perturbato conſidere. Nec rectius de cerebro. Secundum Hippocratem glandulæ omnes corporis ſpongiæ ſunt, & cerebrum ipſum glandula, ſive ſpongia maxima, cujus opus & officium eſt humiditatem corporis ſuperfluam abſorbere; dignum opus cerebro! Neque plus valet ejus doctrina de febribus. De ſuâ ſententiâ quid eſt febris? Eſt ignis, eſt divinum aliquod, id eſt ignotum aliquod. Si febrium naturam probe noviſſet, tot febricitantes, aſtante illo, non periiſſent. Si tale malum alicui noſtrûm eveniſſet, credo actum fore de ejus famâ & fortunâ. Quid multa? Vos, qui proculdubio ſua ſcripta evolviſtis, ſcire neceſſe eſt, quod pro maximâ parte ejus rerum expoſitio confuſa, perplexa, inepta, ſæpe etiam contraria, fuerit; ut manifeſte pateat illum ipſum non intellexiſſe quæ tradidit.

Quid dicit Galenus? ſcriptorum Hippocratis inſtaurator & interpres obſcurus, ſine cujus curâ & induſtriâ periiſſent omnia. Docente Galeno, qui de uſu partium ſcripſit, quas certe non bene novit, omnia fiunt in corpore per facultates quaſdam. ſic ventriculus alimenta attrahit, retinet, digerit, & expellit, quia has omnes utcunque contrarias facultates habet. carnes quoque nutrimentum attrahunt intus ex ventriculo, extra ex aere. Hepar eſt officina ſanguinis, ubi fabrefactus eſt in

ufum totius corporis. chylus nempe per venas meferaicas attrahitur, & ad hoc opus in hepar defertur. Sic fcribit Galenus poftquam longâ verborum ambage oftendit quam neceffaria fit medico perfecta partium cognitio. Sibi ipfi indecore plaudit quafi ille folus veritatem inveniffet. infcius ipfe infolenti arrogantiâ medicos omnes fui temporis vilipendit. Hippocratem probat, laudat; reprehendit, culpat. adeo ignorantiæ proprium eft fibi ipfi contradicere.

Apud Aretæum febricitantes delirio correpti prophetæ fiunt, & futura vere præfagiunt. Nihil tale nos videmus, quia miracula ceffaverunt. fed ille tantæ mirandæ rei rationem metaphyficam reddere fuperftitione anili laborat. Anima, fcilicet, mox avolans, terreno pondere & hebetudine corporis liberata, animas mortuorum colloquitur, difcit, & quafi ex alto videt, & futura prænunciat. fimili modo fyncope percuffi vaticinantur. fic omne delirium fit flamma futuri confcia.

Mediocris ingenii Celfus docet auftera convenire ftomacho. de ftomachis Romanis ingluvie & vomitione quotidianâ labefactatis forfan intellexit. his falfam & momentaneam orexin excitando levamen aliquod uti fpiritus ardentes cito nociturum præbeant. at proculdubio fanis minime conveniunt, & omne aufterum nocet. Quanto

rectius,

rectius bonus & elegans Horatius, qui vacuo ventriculo nil nisi lene committendum dicit. In febribus etiam ardentibus, optimum Celsi medicamentum est cibus opportune datus. contra hoc, intermittentes inediâ & fame absolutâ per triduum & ultra curandæ sunt. Talis doctrina nonnullis ansam præbuit dicendi illum non fuisse ex professo medicum, nec in praxi versatum, sed philosophandi causâ de medicinâ scripsisse, sicut de re militari, rhetoricâ, aliisque. Hæc enim videntur ejusmodi præcepta, non in rerum usu causisque tractata, sed opinione seducta, tradita.

Sic docuerunt hi veterum medicorum coryphæi, qui certe rectiora debuerunt, in anatomicis enim satis superque exercitati esse videntur, & non solum animalia, sed etiam homines, nefarios quidem, atroci & carnificiâ callositate vivos secabant. Quod fecerunt Erasistratus, Herophilus, Eudemus, aliique; teste Tertulliano, Herophilus sexcentos sic exsecuit, a Ptolomæo Philadelpho damnatos, & ad hoc traditos. ille enim fabricam corporis internam curiosius explorari & sciri ardentissime cupiebat. sed eorum inscitiâ frustratus, magnâ de spe decidit. Nihil enim tanto horrore dignum invenerunt; nihil omnino quod mansit & tantam immanitatem quodammodo expiaret. Atqui oportuit aliquid proficere, imo ali-

quid de ſanguinis circuitu ſubolfacere, ſi vel paululum eſſent naris acutæ. oportuit videre ictus cordis crebros & validos, cui bono, niſi ut ſanguinem propelleret? certe non ut anima quadrupedante ſuccuſſu perpetuo equitaret. oportuit obſervare cruorem ſalientem ex arteriis ſectis; unde, niſi cum impetu ageretur. oportuit animadvertere ſanguinem non aerem his vaſis contineri. tam multa ſunt quæ hunc motum perpetuum dilucide indicant. pulſus ſcilicet arteriarum, tumor venarum ſub ligaturâ, earum valvulæ, & tanta alia, ut mirum admodum videatur rem tam obviam tam diu latuiſſe.

De his præcipuis medicinæ partibus cum talis eſſet veterum doctrina, de cæteris eorum erroribus non opus eſt verbis. Si enim in iis recenſendis diutius hærerem, dies deficeret, veſtra quoque patientia. Pauca hæc exempla eorum inſcitiæ & errationis vobis præponere, veritatis ſtudio & amore coactus, neceſſarium duxi, ne judicio corrupto hos tantos principes de ſolio diu occupato temere deturbare auſum eſſe viderer. At non e tali doctrinâ, non ex his fontibus haurienda ſcientia. caveant juniores ne in his vetuſtis perlegendis vetuſti fiant animi. caveant ne male fundatâ autoritate ſeducti in pernicioſos errores & ſeria mala trahantur.

Mirum

Mirum ſane non eſt talem fuiſſe medicinam, cum talis eſſet tota antiquorum philoſophia. non enim experimentis naturæ arcana inveſtigare quærebant, ſed conjecturâ & præſenſione quâdam omnia a priori captare & ſcire voluerunt. Hinc quot philoſophi, tot ſententiæ, tot errores tantæque ineptiæ. Hinc erat quod unuſquiſque alteri adverſaretur & contradiceret, & omnes ætatem in litibus tererent. Error enim infinitus, veritas unum eſt. quæ quandocunque ſeſe terris oſtendit, ut cum Newtone & Harvæo, ſerius ocius uno ore conſentiunt omnes. cum Cicerone dicamus, nihil tam abſurde dici poſſe quod non dicatur ab aliquo philoſophorum. Quiſque ſuo more modoque ſomnians & delirans mundum fabricavit, & omnes longe lateque a naturâ & veritate palantes aberrabant. Non abs re erit documenta quædam exhibere, atque e placitis philoſophiæ principum excerpta.

Anaxagoras omnia explicat homœomeriâ ſuâ, quæ eſt quædam partium ſimilitudo, ut omnia magna e ſimilibus minimis conſtarent. ſic montes e collibus, ſaxa e ſaxulis, aquæ ex aquulis, oſſa ex oſſiculis, venæ ex venulis, & ſic porro. Secundum Anaxagoram nix nigra eſt, & ſtellæ candentes lapides, rapiditate primi mobilis calefacti, quandoque cadentes, & ille unum caſurum prædixit,

dixit, viditque dilapſum in Thraciâ Cherſoneſo prope flumen Ægon, ſuiſque diſcipulis oſtendit. Proculdubio oculatis his teſtibus credendum eſt.

Ejuſdem proſapiæ videtur Ariſtotelis Entelechia; verbum quod nec ipſe, nec diſcipulorum quiſquam intellexit, utcunque in ejus verba juraret. Sed omnia fiunt per Entelechiam. Sic hi veteres philoſophi pro ſcientia verba dabant & voces, & præterea nihil. De cœlo ſcripſit, & toto cœlo erravit. In hiſtoriâ ſuâ naturali quot ſuperſtitioſa & anilia credulitate vulgari rata tradidit!

Apud doctum divinumque Platonem quid habemus? Subtilitates, obſcuritates, trinitates. elegantiæ ſatis, ſcientiæ parum.

Sedulus ille vulgarium errorum collector, Plinius, Ariſtotelem, Theophraſtum, alioſque naturalis hiſtoriæ ſcriptores fideliter ſecutus, eorum errores accumulavit, & cum ſui temporis vulgaribus auxit, neque emendavit, neque naturam ipſam conſuluit. quod ſi feciſſet neceſſe viderat falſa eſſe plurima quæ ſcripſit. Tali philoſophiâ nata medicina, nec matre pulchrâ filia pulchrior.

Sat vituperationi datum eſt; quandoquidem hic dies feſtus, ſolennis, nobiſque ſemper celebrandus laudibus ſacer eſt. Detur venia antiquis, eorumque errores & ignorantia tenebris iſtorum temporum imputentur. Laudentur antiqui, & in iis

omnibus quibus laudem meruerunt, palma concedatur. In poesi utpote in vacua venientes primos & pulcherrimos flores carpserunt, nitentesque rerum formas & imagines complexi, sua scripta expolite ornaverunt. In eloquentiâ, sive in senatu, sive ad populum loquentes, sive in causis orandis; & elegantiâ in historiâ scribendâ excellere eos & præstare confitendum est; in architecturâ & sculpturâ præclara adhuc manent eorum ingenii & peritiæ monumenta.

Hâc distinctione factâ, forsan lis illa magna & vehemens de veterum & recentiorum doctrinâ, quæ sub initio hujus sæculi inter doctos orta est, multâ bile, acrimoniâ, jocisque mordacibus agitata, componi potuisse videtur. In omni enim imaginationis opere, & cerebri figmentis, antiquos præstare fateamur; atqui in veritate explorandâ, & rerum naturæ cognitione, feliciores hodierni, si quid valeat sensus communis, longo intervallo præiverunt.

Vereor ne nimius in hoc genere videar; atqui quam maxime vellem ut in nostris laudibus nihil falsi, nihil fucati cerneretur. mihique visum est antiquos pro more potius quam pro meritis laudari.

Ab his ad nostros prætereundum est spatium temporis immensum annorum mille & quingentorum,

torum, quando militare Romanorum imperium ſub jugo aheneo tenuit gentes; quod excepit Barbarorum omne genus. horrida bella longe lateque flagrabant & barbaries triumphans terrarum orbem occupavit. Religio depravata mentes hominum obcæcavit, duramque confirmavit ſervitutem; pereunt artes; ſilent leges; incubuerunt ignorantia, ſtultitia, credulitas, ſcelera, miſeria univerſa.

Tandem, aliquando ad lætiora & feliciora tempora pervenimus, quando philoſophia, medicina, artes & ſcientiæ, cum Linacro fundatore noſtro & Caio natæ ſunt. ſed adhuc in cunabulis jacebant; nondum enim orta eſt lux Harveiana; & ante Harvæum nulla erat, nec eſſe potuit, phyſiologia rationalis. neque ſanguinis confectio, corporis calor, incrementum, nutritio, refectio, & conſervatio, cognoſci potuerunt. neque ſecretiones variæ & infinitæ ad vitam & valetudinem & morborum cognitionem apprimè neceſſariæ. horum omnium ignorantia craſſa incubuit; nox erat denſæque tenebræ. Linacrus & Caius hanc laudem habent, quod primi inter nuperos verum ſtudioſe quærebant, & animi culturâ felices portam ad meliora patefecerunt.

Surgit Harvæus. veterum commenta & errores diſſipantur, veluti ad ſolis ortum nocturnæ fugantur

gantur nebulæ. Ille eorum eruditas ineptias doctrinaſque nihil aut falſa docentes non tulit; ſed oculatæ mentis acie naturam ipſam exploravit, ejuſque occultum agendi modum primus omnium vidit & penetravit. Primus ille & ſolus, totius phyſiologiæ vitæ & ſanitatis principium & fontem, circumeuntis ſanguinis motum dilucide monſtravit. nec quod diviſam cum aliis gloriam adeptus ſit, hinc patet evidentiſſime, quod plurimi, nec tunc temporis indocti medici, rem non ſolum pertinaciter negabant, ſed irridebant. ſic ſunt homines; interdum nova placent & avide captantur, interdum diſplicent & repudiantur. ſed cum ita demonſtrata fuit, oculiſque fidelibus ſubjecta, ut amplius nullo modo negari poſſet, invidia accenſi, partem aliquam inventi nobiliſſimi, ad alios transferre quærebant. Servetum, Veſalium, alioſque. ſed fruſtra. ſanguinis circuitus partim videri aut concipi non poteſt. nam ut in unâ parte, nec per totum corpus ſanguis moveret, impoſſibile eſt. Cedant invidi, cedant malevoli. donec enim ſanguis per venas fluet, ſemper nomen laudeſque Harvæi permanebunt.

Vera Harvæi gloria nullis indiga preconiis, radices egit, & per totum orbem propagata, mentes hominum irradiavit; accenſa ſunt ingenia, ſtimulata induſtria; & ſtatim novus ordo rerum

 ſequitur,

ſequitur, & ad ulteriores progreſſus fructuſque novos patuit via. Perquiſita ſunt omnia corporis viſcera, partes præcipuæ penitius perſpectæ, ſtructura uſuſque partium perfecte cognita, & quod gaudeamus & exultemus, magna pars in his perficiendis noſtrates fuerunt. Inter hos memorandum Loweri nomen occurrit, qui primus cordis fabricam illuſtravit, animæ caſtrum tranſtulit, docuitque cor eſſe machinam operi magno vitali alimentarium ſanguinem per totum corpus diſpertiendi perfecte adaptatam. Dolendum eſt quod in experimento ſuo transfundendi ſanguinis infelix fuerit; ſed primis cœptis debetur indulgentia.

Pari paſſu in famæ viâ ſequitur Williſius, qui cerebri obſcuram formam & ſubſtantiam indagavit, oſtenditque non eſſe mappam ſordidam, ſed primum movens, ſenſus motuſque omnis in corpore principium & fontem.

Gliſſonis ingenio & induſtriâ docemur hepar non eſſe officinam ſanguinis, ſed ſingularis ſtructuræ organum, ſecernendæ bili aptiſſimum.

Glandularum notitia Whartoni debetur, ſuum cuique officium tribuit, non ut humiditatem ſuperfluam abſorberent, ſed ut ſalutarem ſuum humorem in varios uſus corporis ſingulæ conferrent.

Inter majores noſtros, qui de nobis bene meruerunt, nunquam obliviſcendus eſt Hamæus. Ille

fundator alter nos prædio amplo locupletavit, & hæredes ex asse constituit. Vir doctus, qui medicinam perite & feliciter exercuit, ut annotationes ejus in bibliothecâ nostrâ servatæ testantur, quamvis nomen ejus non longe lateque resonaret.

Non nostris solum, sed exteris quoque liberalis fiat justitia; iis præcipue quorum præclara & utilissima inventa rem medicam maximè promoverunt. Iter chyli liquidique omnis in sanguinem, adhuc in occulto latuit, & ad physiologiæ perfectionem defuit. Hoc a Caspare Asellio Cremonensi per vasa lactea, & Pecqueto Montepessulensi per ductum thoracicum felicissime detectum est. Eustachius quidem, semiseculum antea, ductum thoracicum vidit, sed quid esset nescivit. tabulæ ejus anatomicæ diu delituerant, nec ante Pecqueti inventum in lucem productæ. Ille ergo verus inventor habendus est. Quod mirum in hâc re videtur, neque vasa lactea nec receptaculum chyli Eustachio innotuisse, nec ductum thoracicum Asellio. Totus ergo transitus ab intestinis in sanguinem, ut salvus cuique sit honos, Pecqueto soli debetur.

Ex his medicis celeberrimis discimus quomodo fiunt incrementum, nutritio & refectio corporis, & humectatio & sanguinis adusti refri-

geratio in febribus, quæ omnia medicis apprimè pernofcenda.

Inter exteros laude digniffimos, liceat mihi honoratum femperque honorandum nomen magiftri mei Boerhavii grato animo proponere. Ille anteceſſoris fui Sylvii errores alexipharmacos refutavit, correxit, & aptiorem ftudendi & medendi methodum inftituit; & difciplinam medicam primis ab elementis ad acmen fcientiæ fummâ benevolentiâ & fuavitate ftudiofis tradidit; nova quædam de calore & luce docuit, & validis argumentis probavit. Chemiam auxit & promovit, & omne quod in illâ arte aut utilis aut falutaris erat, produxit; utcunque hodierni fua jactent inventa; quos certe debito honore profequemur fimul ac adverfari & fibi mutuo contradicere ceſſaverint & inter fe certius convenerint. Boerhavius femper Sydenhamum noftrum magni æftimavit, & merito, quippe in medicinâ excolendâ præcipuè fagax, & in exercendâ bonus & fidelis fuit. in defcribendis fymptomatis accuratus, in medicatione fuâ narrandâ fidelis, & in tractandis febribus infignite felix. felicior certe fi feipfum ab arthritide, calculo, & hydrope premunire noviſſet, aut correptum liberare.

Toto animo memorare vellem virum amabilem, ingenio & doctrinâ clarum, mufarum amicum & comitem,

comitem, Garthum. non medicinâ ſolum ſed literis elegantioribus imbutum. qui principibus placuit, cum nobilibus vixit cultus & obſervatus, amicis charus & exoptatus, comes jucundus, conviva facetus, & animi in omnes benigni notiſſimus. talem hominem noſtrum fuiſſe gaudeamus.

Summis laudibus quoque efferendus eſt Arbuthnotus, vir acris & limati ingenii, quo cum viris ſui temporis ingenioſiſſimis maximæ erant amicitiæ neceſſitudines. quos jucunda ſua dicacitas delectavit, ſcientia erudivit. Seria & utiliſſima de nummis & menſuris, & de alimentis ſcripſit, & jocoſa plurima luſit amabiliter.

Quid memorem Radclivium, Friendum, Meadium? fortunæ filios, famâ & opibus & honoribus cumulatos; ſors non omnibus communis, meritorum mercedes tulerunt.

Sed nunc, heu! quantum deflendus eſt familiaris & amicus noſter Pitcairnius, vir bonus & doctus; in medicinâ exercendâ peritus, & re herbaria curioſus; cujus hortus botanicus herbis & fruticibus rarioribus turgebat. ſed præ omnibus Proculeius alter notus in fratres animi paterni; in omnes benevoli. quis deſiderio ſit modus tam cari capitis?

Nunc quoque honoris cauſâ memorandus eſt Monro, quem ſi intime magis noviſſem, proculdubio multa quæ laudarem certior habuiſſem. in illâ

cui

cui incubuit medicinæ parte gnarus fuit & expertus. valetudine infirmâ diu conflictato nescio sane an ea lugenda esset mors, quæ illi fuit ærumnarum requies.

Ultimo jam loco inani laude cumulandus est Noachus Thomas, non quod eques auratus fuerit, aut regis archiater; sed quia vir bonus & eruditus, amicus certus, ingenio acuto & suavitate morum beatus.

Sit nostrum tales viros, qui de familiâ medicâ, de literarum republicâ, de genere humano præclare merendo caram sui & diuturnam memoriam reliquerunt, non solum venerari & quotannis laudare; sed pro viribus imitari, eorum gloria ad futuram urgeat; nec dubito quin inter vos non pauci erunt, qui & propriis & eorum virtutibus & famâ accensi passibus æquis sequantur.

Antiquos laudent fastidiosi antiquitatis amatores, qui nec æquo animo, nec rectis oculis, quod nuperi est aspiciunt. Laudo ego fortunas meas, gratulor & vobis omnibus, his demum temporibus nasci, quando philosophia sana, physiologia vera, medicina rationalis, artesque & scientiæ omnes, ad summum tendentes, omniaque vitæ convenientia, commoda, utilia, & elegantia, melius, plenius, altiusque exculta sunt. Totus orbis terrâ marique exploratus & cognitus; mercaturæ, commercia,

mercia, communi omnium bono, ubique propagata. Societate & urbanitate mores emolliti, & bellum ipſum mitius geſtum. Præ omnibus aliis, in hâc noſtrâ terrâ, libertas publica, ſub rege pio bonoque, confirmata & ſtabilita eſt, &, favente Deo, ad ultimos nepotes deſcenſura.

Quid ultra voveam? Precor vobis omnibus omnia bona: detur in dubiis nihil nocere, in ſanabilibus tuto, cito, & jucundè mederi. Precor oh ſocii, ut ſub præſidio veſtro ſtet Collegium dilectum, patriæ decus, & ægrorum ſpes & fiducia. Nunquam ex animis veſtris fidei datæ memoria diſcedat, vos pro viribus conaturos ut ſemper ſalvus ſervetur honos reipublicæ noſtræ. quare agite, ſervate fidem, inſtituta majorum ſervate. Academias noſtras Oxoniam & Cantabrigiam, elegantioris doctrinæ ſedes, debito honore & eâ quâ decet obſervantia & pietate nunquam non reſpicite. Iſtas vero academias, eo nomine indignas, quæ viles ſuos honores ſutori, ſartori, cerdoni, fabro ferrario, lignario, cuilibet emptori turpiſſime vendunt, ſummo contemptui habete. Anxietati meæ ignoſcite ſi vos omnes bonos doctoſque viros monitos optarem, ut cavendo ne quiſquam indoctus aut indignus admittatur; ingenuo cuique doctrinâ & moribus ornato pateant fores. Ignoſcite

ſcite ſi cogit, urit amor collegii, ut moriens ultimo ſuſpirio commonefacerem, ne quid detrimenti capiat. Valeant meæ preces! Vigeat, Floreat, Eſto Perpetuum.

F I N I S.